Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30288
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

bona cuiusque est ei obviam facti, ut venerandi viri feretrum viderent, terre consternati, caput pulvere conspersere et dixerunt: Heu heu pie pater, heu pie pater. Addebantque: Si christiani anima umquam requiem meruit, merito tua requiescere poterit. Talis clamor et luctus numquam in suis est nostris temporibus. Nullus alium consolabatur, nullus consolari recordabatur. Unicuique enim et proprium incommodum erat quod defleret, nedum alius alium consolantem haberet. Tandem ad oratorium sancti Martini pervenere, quo ingressi sancti viri corpus in medio ecclesie ante sanctam crucem deposuere. Timentes ergo propter hec ne forte corpus aliqua tabesceret corruptione, cum ad loculum secretius accederent, pro hac eadem re solutis quadam ex parte his quibus innexus erat tegminibus, non solum incorruptum eum invenerunt, sed insuper fragrantem thureis odoribus. Res tamen magna pro nichilo habita est, quia multis eius ignoratis virtutibus putabant odorem illum thuris esse quod accendebatur humanitus. Igitur die undecimo postquam ad omnia oratoria eum circumduxerunt post sacrificia sollempnium oblationis et supplicationes ecclesiastice intercessionis, tandem deportaverunt in locum depositionis. Horret nunc mihi mens, tabescit cor, deficiunt verba lamenta ipsi explanare debentia. Quam livide eorum facies, quam sanguinee eorum acies, quam incompte crines, quam incomposite vestes. Taceo deflenda, sub primo gemenda, ad leviora veniam ut quod deus ibi fecerit divina benignitas proferam. Multis ergo ipsi fletibus immolatis, quos illi peperit miseratio que cum illo ex matris egressa est utero, eum in oratorio sancti Martini ante crucem sepulchro imposuere, tales odores qui facile cuncta vincerent aromata

B. II. Id. Iunii. prensere, ut in tanta suavitate daretur intelligi odorem illum fluxisse ex paradysi amenitate. Requievit ergo anno etatis sue plus nonagesimo nequaquam illum expertus laborem de quo psalmista dicit: Si autem in potentatibus octoginta anni et amplius eorum labor et dolor, sed in senectute bona et vita iocunda, deposuit onus temporale sine dilatione leticiam invenit eternalem, anno epatus ter septeno numero mysterii pleno. Nunc autem clarescit signis et virtutibus que per illum operantur divinitus.

PAUCA DE BARDONE DIXIMUS, si verba nostra cum factis eius conferre cupimus. Sed quis verbis comparabis Bardonem? Ergo non tantum nostra prevalet infirmitas quantum ipsius meretur dignitas, ideoque nostre concedet devotioni quod minus congrua suo dicimus honori. Hic est Bardo quem auris audiens beatificabat, et oculus videns testimonium reddebat sibi, eo quod liberasset pauperem vociferantem et pupillum cui non erat adiutor. Benedictio morituri super eum veniebat et cor vidue consolatus est. Iusticia indutus est et vestivit se sicut vestimento et diademate iudicio suo. Oculus fuit ceco et pes claudo. Pater erat pauperum et causam quam nesciebat diligentissime investigabat. Conterebat molas iniqui et de dentibus illius auferebat predam. Radix eius aperta est secus aquas et ros morabitur in messione eius. Gloria eius semper innovabitur et arcus eius in manu eius semper instaurabitur. Qui eum audiebant expectabant sententiam eius et intenti tacebant ad consilium eius. Verbis eius addere nichil audebant et super illos stillabat eloquium eius. Expectabant eum sicut pluviam et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Si voluisset ire ad eos, sedebat primus. Cumque sederet quasi rex circumstante exercitu, erat tamen merentium consolator. Flebat super eum qui afflictus erat et compatiebatur anima eius pauperi. Non contempsit subire iudicium cum subiectis. Non negavit quod volebant pauperibus et oculos vidue expectare non fecit. Non comedit buccellam suam solus, sed semper comedit pupillus ex ea. Non despexit pretereuntem eo quod non haberet indumentum, sed benedixerunt sibi latera pauperum et de vestimentis eius calefacti sunt. Quis loquitur hec? Numquid ego? Non, sed totus mundus. Loquitur terra, loquitur celum, loquitur deus in multis que per eum operatur mirabilibus. Ergo non recedet memoria eius et nomen eius requiretur a generatione in generationem.

Vita Venantii abbatis.

SOLITARIUM atque multiplex donum ecclesiis populisque terrigenis celestis potentia prestat, cum largitor iugiter seculo non minus peccatorum suffragatores, verum etiam eterne doctores vite, quia unicuique cernitur cum a maiestate divina tribuitur. Multiplex quia cunctis qui expetere voluerint affluenter indulgetur, iuxta illud: Petite et accipietis et reliqua. Unde vigilanter incessanterque debet investigare mens humana sanctorum vitam, ut hoc provocata studio accensa exemplo, ad ea semper extendatur.